

REVERENDIS

SIMI PATRIS Genadii Scholarii Patriarchæ Constantinopolitani, Libellus de quibusdam fidei articulis, quos Turcorum Imperator voluit ab eo scire, factusque est inter eos de his dialogus, qui inscribitur Via Salutis hominum nusquam antehac Impressus.

La Librairie des Sciences

PARISIIS.

Apud Michaelem Vascofanum, Via ad Divum Iacobum, sub signo Fontis.

M. D. XXXIII.



La Librairie de M^{rs}. de la Cruz de Coimbra

REVERENDISSIMI PATRIS
Patriarchæ Constantinopolitani Genadii Scho-
larii Libellus de quibusdam fidei articulis, quos
Turcorum Imperator voluit ab eo scire, factusq;
est inter eos de his dialogus, qui describitur Via
Salutis hominum, quem e Græco in Latinum,
Georgius Hermonymus Spartanus accuratissi-
me traduxit.

Interrogat Turcus, Respondet Patriarcha.



Vid est Deus. Responsio. Deus est
substantia inuisibilis, intelligensq; & nō
interpretabilis. Deus est spiritus si-
ne materia oculus peruigil, intellectus,
actu semper existēs. Deus est causa om-
nium uisibilium & inuisibilium creaturarum.

Interrogatio. Vnde dicitur theos quod est deus. &
Dicitur a theorin quod est speculari eo q; cuncta spe-
culetur, quasi speculari & spectatori omnium. Dici-
tur præterea theos quod est deus, a thein hoc est per-
currere, omnia intelligibiliter sine tēpore, deus enim
semper & ubiq; adest. Interro. Et quot dii sunt. &
Vnus deus deorum, & dominus dominātium: & præ-
ter eum non est alius. Dicuntur nanq; dii aliquando
homines per participationem vt puta: ego dixi dii
estis & filii altissimi omnes: vos autem tanquam ho-
mines moriemini, & sicut vnus de principibus cade-
tis. Inter. Si itaq; vnus est deus cur dicitis eum
tres esse personas, Patrem videlicet Filium & Spiri-

a ii tum san-

VIA SALVTIS

tum sanctum. Respon. Ecce sic tres esse dicimus
& vnum. Interro. Doceas nos quæso quomodo est
vnius deus & tres personæ: quoniam nobis mirum vi-
detur quomodo vnus sit deus & tres in eo personæ.
ꝛ. Animaduerte quæso & facile poteris intelligere
mysterium sanctæ Trinitatis, quantū humana mēs
valet intelligere, ego autem pro viribus exprimere
contendam.

Idcirco dicitur deus, non interpretabilis quia non
possumus eius naturam percipere, neq; similis est vl-
la nobis persona. Si enim esset persona vnita illum
procul dubio cognosceremus quemadmodū nos in-
uicem cognoscimus. Sed est vnus quidem deus, tres
autem personæ eiusdem deitatis, proinde animaduer-
te quæ dicituri sumus.

Quæadmodū est vnus sol, qui quidem radios habet
& lumen, suntq; in sole tres quasi personæ: substantia
solis, radius, & lumen. Radius vero qui descendit lā-
padis instar terrā percutiens lumē autē quod illumi-
nat loca tenebrosa absq; radio. Ecce itaq; tres qua-
si personæ: corpus scilicet solare, radius & lumen: nō
tamē dicimus tres soles. Verū vnū & solū: nec dici-
mus personā vnā, sed tres. Si em̄ fueris interrogatus
quot sunt soles in cælo, Respōdere debes, vn⁹ est sol.
Si autē interrogatus fueris quot sunt psonæ in sole,
Respōdeas tres, solare corpus, radius, & lumē. Simi-
liter sentiendū est etiā de deo, deus quidē vnus, psonæ
autē in deo tres, pater, filius, & spūs sctūs, ex iis pote-

HOMINVM

ris intelligere q̄ quēadmodū sunt in sole tria distin-
cta: Ita est & vnus deus triū personarū, pater ipse est
corpus solare, filius autem est radius, spūs sctūs est lu-
mē solis: & sicut in corpore solari est radius & lumē,
& tamē vnus sol & nō tres. Similiter & in deo, pater,
filius, & spīritus sanctus, vnus deus & non tres dīi.

Insuper dic sic, quoniā substātia solis, & radius, & lu-
men nō inuicē separātur: propterea dicitur vnus sol,
& non tres: quia nō separātur ad inuicē. Et quēadmo-
dū substātia solis producit radios, & a sole & radiis
procedit lumē: Ita pater generat filiū seu verbū eius,
& a patre & filio procedit spīritus sanctus.

Sis igitur attētus quēso, q̄ sicut radius solis descēdit
de cælo ad terrā a corpore solari & non separatur, &
neq; a cælo abest neq; a terra: sed est in corpore solari
& in cælo & in terra & ubiq;: neq; sursum neq; deorsum
abest: Ita & filius seu uerbū dei descēdit in terrā
& neq; a patre abest neq; a cælo neq; a terra. Sed fuit
semper, & est in gremio patris inseparabilis, & sursum
& deorsum, & ubiq;, & nusquā deest: & quēadmodum
est lumen solare & in corpore solari, & in radio, & in
cælo, & in terra, & ingreditur interiora domus & om-
nia illuminat: ita & spīritus sanctus ubiq; & cum pa-
tre, & cum filio est, & sursum, & deorsum, & omnem
hominem illuminat & nullibi deest. Spīritus enim
(vt ait Paulus) omnia inquirīt & profunditates dei.
Ecce igitur quemadmodum si nunquam vidissemus

a iiii Heliam

VIA SALVTIS

Heliam Thesbitem prophetam illum non potuiffemus cognoscere qualis fuerit quādo autem videmus imaginē illius, tunc paulatim intelligimus figuram prophetæ illius Helix, licet nō sit eiusdem honoris ita etiam & de deo intelligere oportet. Nam deum nullus vnq̄ vidit, & quia deū nō videmus, nec cognoscere possumus qualis sit. Qm̄ vero deus est lumen reperimus autem lumen sensibile solis tāquam imaginem inuisibilis dei. Si autem dicimus quomodo sol visibilis, & vnus est, & tria in se habet, & hæc tria sunt inseparabilia. Sol itaq̄ est imago intelligibilis solis, videlicet dei cum sint in sole uno tria distincta & cum ita sit, ita sentiendū & credendum est. Si autem exēplum hoc nequaquā tibi satisfacit ad cognitionem trium personarum deitatis animaduerte & aliam imaginem dei. Est autem anima hominis: Quādo enim deus hominem creare voluit dixit faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostram. Ecce igitur & homo ipse imago est dei videlicet anima hominis. Est anima hominis vna quidem & trium quasi personarum, tres quasi personas habet anima & quomodo, animaduerte. Est anima vna persona, anima vero producit sermonem, & ecce sermo alia persona. Anima producit spirationem, & ecce spiratio alia persona. Sunt ergo quasi personæ tres, anima, sermo, & spiratio. Animæ sunt personæ & non corporis: quoniam euolante anima a corpore nec sermo nec spiratio remanet in corpore. Sed iacet
corpus

HOMINVM. IV

corpus absq; sermone & spiratione: sermo vero & spiratio sunt in anima. Et hoc patet quia sermo & spiratio ab anima sunt personæ, & ecce igitur anima est persona, vna sermo, alia persona spiratio, alia anima est trina quasi in personis, licet anima sit vna & non tres.

Si autem interrogatus fueris quot animas habet homo, Respondere debes vnam. Si autem interrogatus fueris quot personæ vnus animæ, respondere conuenit tres, quoniam anima, sermo, & spiratio. Est vna anima & tres personæ, & anima quidem est ad modum patris: Sermo vero animæ ad modum filii, & verbi dei Spiratio vero animæ est ad modum spiritus sancti.

Quemadmodum enim anima est ingenua ita deus pater ingenuus est: & quemadmodum sermo animæ generatur ab ipsa anima, ita & verbum dei a patre generatur: & quemadmodum spiratio generatur ab anima: ita & spiritus sanctus procedit a patre, & dic sic, anima, sermo, & spiratio. Anima vna & non tres. Ita & pater verbum & spiritus sanctus, vnus deus & non tres. Inseparabilis anima & sermo & spiratio, vna anima & non tres, inseparabilis pater & verbum & spiritus sanctus. Inuisibilis anima, inuisibilis & deus. Et quando mente hæsitabis quomodo possit esse vnus deus & trium personarum: cogita & dic: quemadmodum anima mea est vna sed trium potestatum: anima, sermo, & spiratio, ita & deus vnus est, sed trium personarum, Pater, verbum, & spiritus sanctus, & dic

VIA SALVTIS

menti tuæ . Si anima quæ est creatura dei similiter & sol est quasi trium personarum . Si natura autem eorum est vna tanto magis deus creator omnium horum:quare igitur non sequitur esse,ita vt sit vnus & trium personarum: ita profecto anima,sermo,& spiratio tres personæ,sic vnus deus & nõ tres. Ita enim si semper consideras de sancta Trinitate nunquam errabis .

Ecce ignis vnus est sed trium potestatum , ista enim est persona igni subiecta : calefactiua autem virtus altera persona . Illuminans autem alia . Ecce igitur quasi tres personæ vnius ignis . Videlicet ignis calefactiuum & illuminatiuum:vna tamẽ natura ignis est . Similiter & in deo, pater enim est ignis : Filius vero calefactiuum : & spiritus sanctus est illuminatiuum: & quemadmodum in igne : ignem calefactiuum & illuminatiuum dicimus vnum & nõ tres : Ita & in deo tres sunt personæ,deum autem vnum dicimus, & non tres deos.Et de cognitione sanctæ Trinitatis satis est hæc credere.

Sermo vero hominis duplicem habet originem duabus enim pronunciationibus producit: vna ab anima, altera vero a labiis: producit quidẽ sermo ab anima quando aliquis cogitat aliquid exprimere:cogitatio enim fit ante formationem sermonis:quoniã cogitat sermonem vt exprimat illum: nõ pronunciat autem per labia . Sed conseruat sermonem illum in gremio animæ:& est illa cogitatio prima animæ productio,

HOMINVM.

ductio, tamen & si formatur sermo primam formationem habet quando cogitat illum anima, non tamen manifestat eum anima: quando autem vult manifestare sermonem tunc format.

Secunda autem formatio est ex labiis, hæc autem secunda formatio labiorum est tunc, quando omnes audiunt sermonem & manifestat eum omnibus, & non amplius dicitur absconditus sermo sed clarus: quando vero generatur sermo: videlicet quando labiis articulatur, & dicitur hæc formatio per labia, secunda formatio sermonis. Itaque duæ sunt origines sermonis nostri, una ex anima quando cogitat sermonem quæ & prima formatio dicitur. Altera vero ex labiis quæ & manifestat sermonem in omnibus hominibus: & dicitur secunda formatio.

Aspice igitur quemadmodum sermo hominis duas origines habet, unam ex anima, alteram ex labiis. Ita & verbum dei duas generationes habet, unam ex deo patre, quæ & prima dicitur generatio, & alteram ex carne quæ & secunda dicitur generatio: & quemadmodum sermo noster, & si formatur primam originem habet ab anima: attamen non est clara nec manifestatur: sed iterum post formationem manet in gremio animæ: Sic & verbum dei quavis natum est ante secula a deo patre, non fuit tamen manifestum hominibus: Sed fuit in paterno gremio quemadmodum sermo noster quando volumus formatur ex labiis nostris, & manifestatur omnibus astantibus: ita simili

VIA SALVTIS

ter & verbum dei quando bene placuit natum est vt ex labiis prophetarū fuerat prædictum ex sancta virgine Maria, & tunc manifestum fuit toti orbi.

Quemadmodū enim manifestatur noster sermo cum sit natus ex labiis nostris: Ita & verbum dei natum est ex carne sanctæ virginis, & manifestatum est toti orbi, & qui credunt in eo salui sunt.

Et quemadmodum sermo noster quando formatur a labiis, nec ab anima deest, nec a labiis nostris, nec ab auribus audientium: sed & in anima & in labiis nostris, & in auribus audientium & nusquā deest: & si mille millia audirent sermonem non diminuitur sermo: Sed semper sermo noster integerrimus est: ita verbū dei natū est ex virgine Maria, vt ex prophetarum labiis fuerat prædictum. Attamen nec a patre defuit, nec a carne, nec ab omnibus hominibus, nec ab vniverso orbe: Sed vbiq; erat, & non diminutum est verum, amplissimum erat. Ita intellige & de uerbo dei quia duplicem habet generationem, vnā ex deo patre & ex patre ante secula, a carne vero a nouissimis dierū quemadmodum sermo noster primum producit ab anima, secundo autem a labiis. Et hæc de duabus generationibus verbi dei. Interrogatio.

Quid est commune sanctæ Trinitatis. R. Commune est substantia carens principio, potestas, bonitas, ac iustitia: & omnia hæc æqualiter habet pater, filius, & spiritus sanctus, præter ipsas proprietates.

Interrogatio,

Quid

HOMINVM.

Quid est proprium patris. R. Ingenitum. Inter.

Quid est propriū filii. R. Genitum. Interro.

Quid est proprium spiritus sancti. R. Procedens.

Interrog. In deo quot naturas fateris. R. In deo

vnā dicimus naturā, vnā formā, vnū genus, vnā

gloriā, vnā dignitatē, vnā dominationem. Interro.

Hypostasēs quot fateris in deo. R. In deo tres di-

cimus, tres personas, tria indiuidua, & tres formas.

Inter. Et cur dicitur pater. R. Pater dicitur deus

& pater ab hoc verbo $\omega\alpha\upsilon\tau\alpha\ \tau\upsilon\pi\theta\epsilon\iota\varsigma$, id est omnia obserua-

re. Inter. Et $\upsilon\iota\omicron\varsigma$ id est filius vnde dicitur. Respō.

$\upsilon\iota\omicron\varsigma$ id est filius dicitur ab hoc nomine $\omicron\iota\omicron\varsigma$ hoc est talis

qualis enī pater talis filius, & mutatione o in u gre-

cum $\upsilon\iota\omicron\varsigma$ hoc est filius similis enim patri est filius.

Inter. Et $\omega\upsilon\epsilon\upsilon\mu\alpha\varsigma$ id est spiritus sanctus vnde dicitur.

R. Ab hoc verbo $\upsilon\epsilon\upsilon\epsilon\iota$ id est annuit: omnia enim acu-

te & uelociter intelligit & prouidet, spiritus em̄ san-

ctus omnia inquirat & profunditates etiam dei.

Inter. In deo quot sunt principia productiua. R.

Vnum dicimus principium generatiuum in deo, &

hoc est pater: Ipse enim generat filium, & spirat spi-

ritum sanctum. Scias q̄ solus pater est generatiuus

filii, filius autem nō est generatiuus seu genitor, ne-

q̄ spiritus sanctus non est productiuus sed productus:

Itaq̄ principium productiuū est pater, & etiam filius,

producti autē sunt filius & spūs sanctus, principium

productiuū dicitur pater, quia generat & nō generatur,

productit

*mōdo dixerat
vnā formā. sed
forte in græco
est nomen diuer-
su et congruēti-
g.*

*negatio abundat
in latino.*

VIA SALVTIS

producit & non producitur generat quidem filium, spirat autem spiritum sanctum: & ideo dicitur pater principium productiuum. Inter. Et quot sunt in diuinis personæ productæ. R. Duæ sunt in diuinis personæ productæ, filius & spiritus sanctus: non generat filius sed generatur: propterea dicitur productus, similiter spiritus sanctus non spirat sed spiratur, & ideo dicitur productus: Si igitur interrogatus fueris in diuinis quot sunt personæ producetes: Respondeas duæ, nam pater generat filium, & pater & filius spirant spiritum sanctum. Si vero querat quot sunt in diuinis personæ producentes non productæ: Respondeas vna, videlicet pater qui generat filium, & spirat spiritum sanctum Interrogatio.

In sancta Trinitate quis fuit primus, pater, filius, an spiritus sanctus. R. In sancta Trinitate nullus est primus neq; vltimus: sed simul pater, simul filius, simul & spiritus sanctus: & propterea simul non inchoati dicuntur ens ante principium: Deus vero caret principio licet est ante principium, & propterea dicitur sine principio: non inchoatus ergo pater, non inchoatus filius, & non inchoatus spiritus sanctus. Et ecce simul coæterni, & nullus primus, nullus vltimus in sancta Trinitate. Interrogatio.

Et Spiritus sanctus quomodo procedit a patre. R. Interrogare de hoc minime te decet, non est enim interpretabile: Attamen addisce quæso de hac re: quæ admodum spiratio hominis procedit ab anima: ita & spiritus

HOMINVM.

spiritus sanctus procedit a patre. Interrogatio.

Vtrum loco capiatur deus an nō. R. Animaduerte & intellige diligenter q̄ deus lumen est: Inuisibilis & loco non receptibilis, neq; igitur aspicitur deus, neq; recipitur in toto vbi habitaturus & recepturus: Itaq; clarum manifestumq; est q̄ nō recipitur in vno loco: Sed in toto, & vbiq; adest deus. Omnia au diuisti de sancta Trinitate q̄ vna persona est pater, altera vero filius & verbum, & alia spiritus sanctus. Ecce igitur scias q̄ hic filius indutus est carne humana & ambulauit in terra, & postea quam induit carnem & ambulauit in terra: cum carne nominatus est & appellatus Christus. Igitur Christus filius & verbum dei est incarnatus habens formam hominis.

Inter. Qua necessitate dictus filius & verbum dei incarnatus est vt ambularet vt homo in mundo. R.

Postquam interrogasti qua causa deus incarnatus est audi causam. Deus nulla re ^{indigens} indigente incarnatus est: Sed humana natura indigebat medicamine: postquam enim deus fecit cælum & terram, & omnia quæ sunt in eis, & creauit hominem & posuit eum in medio paradisi, & ordinauit eū imperare omnibus creatis, & habitare in paradiso tanquam deus. Aspiciens eum diabolus inuidit dignitati hominis consuluitq; homini non parere mandatis dei, homo autem cum esset inexpertus prauitatis diaboli paruicōsilio diaboli, non obediens deo: & tunc accepit homo mortē peccati & omnes qui ab homine illo nati sunt, quia

VIA SALVTIS

acceperunt peccatum a parentibus & tenebant hanc mortem, & dominabatur in eis peccatum, propter hominem misit deus prophetas doctores in mundū, vt docerent homines vt a peccato conuerterentur. Non potuerunt vero prophetae corrigere eos, & propterea talia secum dixit deus.

Descendam & induam me carne, & fiam in forma hominis, & docebo creaturam meam vt conuertatur a consilio diaboli, & erit omnis homo, tanquā deus nō secundū naturā sed secundū participationē, & hoc voluit deus pater bona voluntate, & cooperatione spiritus sancti descendit: filius & verbum dei, & ingressus est puram sanctā & immaculatā virginē, & suscepit carnē & homo factus est: & postea ex vtero virginis egressus conuersatus est in mundo cum hominibus, vt homo, & nominatus est Christus, qui docuit homines viam veritatis: Iste est Christus filius & verbum dei sumens carnem cui conuenit gloria & laus in secula seculorum amen.

DEIVSDEM PATRIARCHAE

Constantinopolitani Libellus secundus de capitulis siue articulis fidei nostrae ad eūdē.



Redim⁹ q̄ deus est creator omniū quecunq; sunt a non esse.

Insuper deus non est corpus, neq; habet corpus: Sed uiuūt intelligibiliter, & est intellectus immortalis, & est in mundo & supra

HOMINVM.

& supra mundum, non est in aliquo loco, & est in omni loco, hæc sunt proprietates dei per quas distinguitur à creaturis eius & aliæ similes.

Est sapiens & bonus & verus & ipsa veritas, & quas cū q̄ habent creaturæ eius virtutes quasi per partes distinctiue, habet ipse solus, altiori quodā modo, & has perfectiones habent creaturæ eius: quia ipse has tribuit eis, quia & ipse bonus est & creaturæ eius bonæ, quia sapiens sapientes, quia verus veræ & similiter de aliis: Veruntamen deus proprie habet eas, creaturæ autem secundum participationem.

Credimus etiam q̄ sunt in deo, alię tres proprietates quæ sunt tanquam principium & fons omnium aliarum proprietatū eius, & per has tres viuit deus semper eterne, etiam ante creationem mūdi: & per has creauit mūdum, & per has regit eum. Has tres proprietates nominamus tres Hypostasēs: & quia hæc tres proprietates non distinguunt almam & amplissimam substantiam dei: propterea deus est, & cum proprietatibus suis vnus deus, & non tres dii.

Credimus etiam q̄ a natura dei oriri verbum & spiritum sanctum, quemadmodum ab igne lumen & calor. Et quemadmodū ignis, si nō est aliquod quod illuminetur, & calefiat ab eo, tamen hic ignis semper habet lumen & calorem: Ita & ante creationem mundi fuerūt verbum & spiritus sanctus ^{ἐν ἐπ' ἑαυτοῦ} hoc est potentia naturalis dei.

VIA SALVTIS

Insuper deus est intellectus vt ante dictū est & hæc tria intellectus, verbum & spiritus sanctus vnus deus est, quemadmodum in vna anima hominis est intellectus, ratio intelligibilis, & voluntas intelligibilis, tamen hæc tria in vna substantia animæ.

Rursus verbum dei nominamus, sapiētiam dei & potentiam & filiū eius, quia est natum naturæ eius, quemadmodum natum naturæ hominis appellamus filiū hominis, & quemadmodum intellectus hominis est natum animæ eius.

*hæc loquēdi modū
nō admittit Tabi-
ni doctores.*

Insuper nominamus voluntatem dei, spiritum dei & caritatē: ipsum autem intellectū appellamus patrē, quia ipse est ingenitus & sine causa, & causa filiū & spiritus sancti, quoniā igitur deus nō solū intelligit creaturas suas, sed etiā intelligit & cognoscit seipsum, & propterea habet rationē & sapientiā per quā intelligit seipsum sempiternæ. Similiter neq; vult neq; diligit deus creaturas dūtaxat suas: Sed vult & diligit seipsum multo magis, & propterea sempiternæ procedit ex deo verbum & spiritus eius, & sempiternæ sunt in eo, & hæc duo sunt cum deo.

Insuper credimus q; deus per verbū & sapientiā & potentiā eius creauit mundū, & per spiritū bonæ voluntatis & charitatis eius, prouidet & regit & mouet omnē naturā in mundo ad bonū secundū ordinē vniuscuiusq; naturæ: & propterea credimus q; quādo voluit deus per solā misericordiā eius conuertere homines ab errore dæmonū & idolatriā, quia præter paucissim

HOMINVM.

ciffimum locū Iudæorū in quo adorabatur & crede-
 batur vnus deus ex lege Moyfi. Vniuersus autem or-
 bis adorabat creaturas dei, & plures deos pro vno &
 vero deo colebat, & cōuersabatur vnusquisq; propria
 voluptate & nō secundū legē dei. Tunc fecit deus ta-
 lem hominū pręparationē, per verbū eius & spīritū
 sanctū, & propterea verbū dei indutū est carnē huma-
 nā, vt homo loqueretur cū hominibus, & vt verbum
 dei & sapiētia doceret homines credere in vnū & ve-
 rū deum, & cōuersari secundū legē quā ipse dederat:
 & rursus vt homo daret politia exēplo doctrinę suę.
 Primus enim ipse obseruauit legē quā dedit homini-
 bus, & rursus & verbū dei & potentia posset induce-
 re vniuersale bonū in toto orbe quod voluit & quod
 erat impossibile potentie vnus hominis, conuertere
 vniuersum orbem ad deum, & hoc pacto per verbum
 quidē eius seminauit veritatē omnipotēs & inuisibi-
 lis deus in hierosolima: per spm̄ autē eius illumina-
 uit & fortificauit apostolos eius, vt seminarēt & ipsi
 veritatē in vniuersum orbē, & vt despicerēt mortem
 propter amorē veritatis quā docebant: & ppter amo-
 rē dei qui eos miserat, & propter amorē salutis mun-
 di secundū exēplum Iesus: qui volūtariē mortuus est
 secundum humanitatem pro salute mundi.

Ita credimus nos vnū deum in trinitate, patrē, filiū,
 & spīritū sanctū: quēadmodū instruxit nos dominus
 noster Iesus Christus & quia est verus: credimus etiā
 q̄ est & hoc etiā verū, & discipuli eius ita latius in-

c struxerunt

VIA SALVTIS

struxerunt nos. Sic intelligimus a sapientia & potentia dei. Credimus insuper q̄ verbū dei & homo quē induit verbū dei, est Christus cuius vita cū esset in carne erat vita hominis sanctissimi, potentia autē sapientia & operationum eius erat potentia dei.

Credimus insuper q̄ quēadmodum anima & corpus hominis est vnus homo: Ita & verbū dei ex vna parte & ex altera parte anima & corpus filii sanctae virginis Mariae erat vna persona Christus. Sed quēadmodū anima & corpus sunt omnino duae naturae in homine: sic & multo magis verbū dei & homo in Christo fuerunt duae naturae totaliter distinctae, neq̄ verbū dei mutatum est in carnē vel in animā Christi, nec caro Christi, vel anima mutata est in verbū dei: Sed semper erat & est in Christo verbū quidē dei, verbū dei, humanitas autē humanitas & nō q̄ acceperat humanitas Christi deitatem: sed deitas verbum dei suscepit in se humanā naturā, adiuuans ne quid deesset.

Omne quod est in deo, & ex deo naturaliter deus est, quia non est in deo accidēs: & propterea hoc verbum intelligibile dei, deum appellamus & credimus, quia hoc verbū erat in Christo, propterea Christū deū & hominē fatemur, hominē quidem propter animā & corpus, deū autē propter verbū dei quod erat in eo.

Credimus q̄ verbū dei erat in Christo & in mundo & in caelo, & in deo patre, quia verbū dei est infinitū, vt infinitus est deus, qui generauit illud, & habet infinitā potentia, verū in deo alio modo se habe-

bat

HOMINVM.

bat, & in Christo alio modo, & in mūdo alio modo.

Credimus insuper quādo deus cōmunicat bonitatem eius & gratiā alicui creaturæ nequaquā minuitur, sed magnificatur magis, quia ex virtute creaturarum manifestatur dei celsitudo, & quāto magis melioratur creatura maiori cōmunicatione bonitatis eius, tāto magis bonitas dei & potētia ostenditur: propter ea bonitas dei & charitas in homines magis magnificatur, propter aduentū verbī dei & deū cū omnipotentia eius in Iesu, quā quādo mittebat deus ad prophetas vnā gratiam vel duas & in vnum minorem, in alium maiorem.

Credimus etiā q̄ Christus crucifixus & mortuus est propria voluntate propter magnā & plurimā vtilitatem quæ longo sermone indiget: & hæc omnia secundum humanitatē, verbum enim dei neq; crucifigitur, neq; moritur, neq; resurgit: sed potius viuificat mortuos quēadmodū viuificat carnē qua induit se.

Credimus insuper q̄ Christus resurgēs cēlos ascēdit & iterū vēturus est cū gloria vt iudicet mundum.

Credimus etiā q̄ animæ hominū sunt immortales, & corpora sanctorum resurgent incorrupta clara leuia, nō indigētia cibo, nec potu, nec veste, nec vlla alia voluptate corporea, nec nō & animæ & copora fideliū. *forte Delin.*

F I N I S.

P A R I S I I S.

Apud Michaelem Vasosanum, Vía ad
Diuum Iacobum, sub signo Fontis.

M. D. XXXIII.

c ū